

## C A P . L X I I .

Ascitæ cur sic dicti. Erroris antem eorum caput  
ecquod fuerit.



Scitæ ab vtre<sup>1</sup> sic appellati sunt. Ἄσκος  
enim Græcè, Latinè uter dicitur, quem  
2 gestare perhibentur inflatum & oper-  
tum circumire bacchantes, tanquam  
ipſi ſint Euangelici vtres noui vino no-  
uo repleti.

1 *Ascitæ ab vtre.*) Hi verò etiam Vtrarii vel  
Vtricularii dici possunt, quòd vt à Græco Ἄ-  
σκότης, ita à Latino Vter, Vtrarius certè formatur.  
**Quæ** fuerit autem hæc hominum ſecta, vbi graffa-  
ta, quandiu perſtiterit, & quo primùm authore cœ  
perit, legiſſe me non memini. Ac ne apud Isidorū  
quidem huius facta mentio eſt, tam leuiter deiecta  
& exploſa nimirum fuit. Fortaffe ad pompa eius,  
quæ in ſacris Dionysii Bacchi Athenis fiebat, & in  
qua σκαροπόροι & ἀσκηπίδοι erāt, quemadmodum Sui-  
das ſcribit, ſimilitudinem iſtos excitauit Satan, qui  
noua & prodigiosa planè ratione ſe Dei ministros  
& Euangelii præcones profiterentur, qui digni e-  
rant, ad Probi imperatoris Romani exemplum, no-  
mine vtris in aëre pendere potius, quam viuere.  
Hi verò ſunt diſsimillimi ab iis, quos Aſcodrupe-  
tas Theodoreetus appellat, de quibus diximus an-  
tea. Enthousiaſtæ tamen & prorsus fanatici homi-  
nes etiam iſti fuiffe mihi videntur, & in loci illius  
qui eſt apud Matthæum explicatione falluntur &  
hallucinantur.

2 *Quem gestare.*) In impressis ſic legitur, Quem  
perhibentur, hiulca prorsus oratione. Itaque vo-  
cabulum